

natu mittitur: præsidia externorum militum augentur, frumenta, atque annona omnis generis importantur. Latum quoque, ut ordinum milites introducerentur: horum in Reipublicæ ditionibus delectus fit, a præfectisque rerum usu & disciplina præstantibus edocti, virtute & fide ad militaria munera obcunda, arcesque tutandas aptissimi censentur. Bergomates quoque cives, quorum semper in Rempublicam mira fides extitit, concilio coacto, quod *Binam* vocant, ad ea, quæ Senatus jussisset, conficienda alacres atque expeditos fore profitentur; murorum atque urbis custodiæ egregios ac spectatos cives deligunt; proprio ære collapsa nonnullis in locis moenia farciunt: iis ob egregiam in Rempublicam voluntatem a Senatu gratiæ haberi jussæ.

Philippus autem duplici gravissimo, atque difficillimo distinebatur bello; altero adversus Turcas, qui Africanam, ut diximus, expeditionem decreverant; altero adversus Belgii populos, qui firmiori apparatu, vehementioreque animi ardore Hispanorum jugum a cervicibus excutere nitebantur, cum jam ab anno M. D. LXVI. vel libere religionis obtentu, vel ob privilegiorum incolumitatem, arma in Regem sumpsissent; neque ulla vel vi, vel arte perdomari potuissent, licet, Albano Duce, cujus duris nimium imperiis plerique ulcus exasperatum arbitrabantur, ex Belgio revocato, Aloysium Requesenium suffecisset; qui cum parum prospera belli initia habuisset, huc potissimum consilia ac vires Philippus conferre cogeatur, ne Belgarum audaciam nimio sibi que exitiali incremento augeri fineret. His fiebat, ut ne, si quidem maxime concupivisset, tot distractus curis in alias partes animum intendere, coalitamque per tot annos Italiæ pacem turbare posset; ne Italici Principibus necessitate adactis, aliunde auxilia comparantibus, in Italiam totius Europæ bella, non minore aliorum Principum, quam ejus, qui barbarum auctor extitisset, periculo traherentur. Philippus ergo omnem ex Venetorum animis suspicionem eximere, Gusmano Silvensi, suo apud Rempublicam oratori, jubet: qui Principis ac Patrum collegium ingressus, gravi ac vehementi oratione testatus est: *Quæ in Insularibus arma, jussu Regis, cogeantur, ea ad Italicam pacem perturbandam, cujus ipse, si ullo unquam tempore, hoc præsertim*

*Gusmani
Silvensi,
Hispani
oratoris, a-
pud Venetos
officium.*